

monachus eat in domum infirmorum ad comedendum. Verum si talis et tanta est infirmitas stomachi, ut semper frater non possit comedere, unde alii comedere solent, tunc ducendus est in domum infirmorum propter honestatem. Si autem talis est, qui non semper, sed per intervallum contiugit, ut non possit edere, isti tali in refectorio debet praeparari cibus, sicut diximus, eo quod non est bonum, sicut jam dictum est, ut pro tanto ducatur in domo infirmorum. Quod vero dicit *nascentia leguminum*, non est intelligendum, ut primum aut secundum pulmentum non debeat esse de leguminibus, si coctum fuerit, eo quod cum de nascentia leguminum dicit, de germinantibus leguminibus crudis intelligitur dixisse, et ideo, quia de crudis leguminibus nascentibus dixit dari tertium, de coctis vero leguminibus omnimodo potest dici primum vel secundum pulmentum.

Quod autem dicit: *Carnium vero quadrupedum oninimodo ab omnibus abstinence comestio praeter omnino debiles aut aegrotos*, intellexit ipse S. Benedictus plus dulces carnes habere volatilia, quam quadrupedia, sicut doctores dicunt et usus comprobat in eo, quod reges et principes propter majorem dulcediorem et suavitatem gustus post carnes quadrupedum in suis conviviis carnes volatilium praecipiant sibi praeparari; et ideo propter suavitatem gustus, non propter numerum pedum abstinentes et poenitentes a carnibus omnibus abstinere noscuntur, maximeque cum Dominus post resurrectionem suam aliquando carnem comedissee excepto pisce non legitur. Similiter et apostoli non leguntur aliquam carnem comedissee, et sicut historia ecclesiastica narrat, neque illi aliquam carnem manducabant, qui auctores monachorum tam verbo quam exemplo exstiterunt; ideo superius in capitulo, ubi de infirmis fratribus dicit, jubet, a carnibus more solito, exceptis infirmis, omnes abstinere propter stimulos carnis retundendos, eo quod stimuli carnis magis solent insurgere, ubi major dulcedo et major suavitas gustus in cibum percipitur. Et ideo jubent sancti monachi, sicut legitur in quinto libro institutae patrum, ubi de gastrimargia comprimenda docetur, sicut diximus, ut ille cibus